



Disputatio juridica inauguralis de cessione bonorum

<https://hdl.handle.net/1874/342460>

23.

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE
CESSIONE BONORUM

Q V A M,
FAVENTE DEO TER OPT. MAX.

Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

JOANNIS GEORGII GRAEVII

Politices, Eloquentiae & Historiarum Professo-
ris Ordinarii,

NEC NON

Amplissimi Senatus Academicī consensu, Nobilissimaque
Facultatis JURIDICÆ Decreto,


PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis
ritè & legitimè consequendis,

Eruditorum examini subjicit

GER. HENR. KALDENBACH. Doesburgo-Gelr.

A. D. 4 August. horis locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ
Typographi, clc lcc xc.

DISPUTATIO IURIDICA
IN INGENIIS AVIS.

CESSIIONE BONORUM

AVANTTE DEA TAV OUT MA
MUNICIPALIA Y-LEW D'Y-LEW
TOLIDE, EYDENECKE & HILDEBRAND

DIANIS GLOCH GRATH

LOGGE, EYDENECKE & HILDEBRAND

IN CROWN

THEATRUM MUNICIPALIA VENETIENSIS

THEATRUM MUNICIPALIA VENETIENSIS

THEATRUM MUNICIPALIA VENETIENSIS

GERHARDUS KALDENBACH Docipago-Cap.



TRAJECTI AD RHINUM

Ex Officinis FRANCISCI HALMA, Accedemis
Thesomphi, ap. 1690.



DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE
CESSIONE BONORUM.

CAPUT I.

Cum admodum durum, & nihil profectò immitus videretur, quam quod debitores, qui non existent solvendo, secundum leges XII. tabb. conjicerentur in vincula & addicerentur creditoribus in servitutem usque dum ære alieno se liberaffent; quin imo durius, quod si plures forent, quibus aliquid debebatur, tunc illis corpus debitoris in partes secare atque partiri erat permisum cu' us rei vestigia adhuc extant apud A. Gellium lib 20. No&t. Att. cap. i. ÆRIS. CONFESSI. DEBLITI. Q. JURE. JUDICATIS. TRIGINTA. DIES.

A 2 JUSTI.

4 DISPUTATIO JURIDICA

JUSTI. SUNTO. POST. DEINDE. MANUS.
INJECTIO ESTO. IN. JUS. DUCITO. NI. JU-
DICATUM. FACIT. AUT. QUIS. ENDO. EM.
JURE. VINDICET. SECUM. DUCITO. VIN-
CITO. AUT. NERVO. AUT. COMPEDIBUS.
QUINDECIM. PONDO. NE. MINORE. AUT.
SI. VOLET. MAJORE. VINCITO. SI. VOLET.
SUO. VIVITO. NI. SUO. VIVIT. QUI. EM.
VINCTUM. HABEBIT. LIBRAS. FARRIS. IN.
DIES. DATO. SI. VOLET. PLUS. & paulo post:
TERTIUS. NUNDINIS. PARTES. SECAN-
TO. SI. PLUS. MINUSVE. SECUERINT. SE.
FRAUDE. ESTO, & apud Quintilian lib. 3. Inst.
orat. cap. 6. *sunt enim quædam non laudabilia naturâ,*
sed jure concessa: ut in XII. tabb. debitoris corpus
inter creditores dividi licuit, quam legem mos pu-
blicus repudiavit & Tertull. Apologet. sed & judi-
cato in partes secari à creditoribus leges erant,
consensu tamen publico crudelitas postea erasa est,
& in pudoris notam capit is pœna conversa est bono-
rum adhibita proscriptione: suffundere enim maluit
hominis sanguinem quam effundere.

Postea igitur hanc inhumanam crudelitatem sustulit lex Julia, quæ debitoribus indulxit beneficium cessionis bonorum, quo inopes debitores bonis suis cedendo poterant evadere carceris molestias ut & alias vexationes l. 1. & 4. Cod. b. t. quæ lex jure Justineaneo per omnia est confirmata l. 4. Cod. b. t. quoniam eo nihil novi specialiter introductum reperitur, ob hanc causam omnia regulis veteris legis Juliæ relicta intelliguntur arg. l. 32. §. fin. Cod. de appell. l. 27. Cod. de Testam.

CA

CAPUT II.

§. 1. Bonorum itaque cessio definitur aetus, quo debitor ære alieno oneratus omnia sua bona sponte dimittit, & creditibus ad evitandas carceris, ut alias molestias concedit l. 1. junct. l. 4. & 7. Cod. b. t.

§. 2. Hoc beneficium datur omnibus debitорibus, qui iniquitate fortunæ bonis suis sunt lapsi, & tantum in bonis non habent, quo ære alieno se posint liberare, tam masculis quam foeminis, filiis ac filiabus fam. l. 7. Cod. b. t.

§. 3 Inveniuntur tamen multi, qui hac cessione bonorum non indigent, quia habent beneficium competentiae; inter illorum numerum recensentur milites stipendiarii, ne videlicet si conveniuntur ultra quam facere possunt, cogantur deserere militiam l. 18. ff. de re judic.

§. 4. Maritus conventus super restitutione dotis ab uxore l. 12. ff. solut. matrim. & non solum tutus est beneficio competentiae in restituenda dote, sed etiam quando ex alio contractu convenitur l. 20. de re judicat. ab summam rationem, quia marito reverentiam debet uxor, cui non convenit maritum ita ab uxore arctari, ne quidem debitum vitæ subsidium habeat l. 1. §. 7. Cod. de rei uxor act. etiam filiis mariti conceditur, si ex eodum matrimonio sunt procreati l. 18. ff. solut. matr. sed hoc modo ne egeat ipsa mulier,

6 DISPUTATIO JURIDICA

lier, quia in pari causa esset potior lib. 6. Cod. de servit. non vero aliis hæredibus hoc compitit l. 12. ff. solut. matr. l. 25. ff. de re judicat. quoniam hoc beneficium est personale & cum persona extinguitur l. 68. ff de Reg. Jr. & l. 13. ff. de sol. matr.

§. 5. Patronus conventus à liberto non ultra condemnatur quam facere potest, idque etiam patroni patronæve liberis tribuitur l. 17. ff. de re jud. l. 9. ff. de obseq. par. & patr. quibus omnibus honorem ita haberi lex voluit, ut ne famosæ actiones in eos institui possint l. 11. §. 1. ff. de dol. mal.

§. 6. Socio quoque non denegatur hoc jus l. 16. ff. de re judicat. quia societas continet aliquod jus fraternitatis, non ferens rigidam & inclementem unius per alterum exactionem l. 63. ff. pro socio. nisi quis se socium esse negaverit, aut ex causa doli sit obligatus l. 22. ff. de re Judic.

§. 7. Donator insuper qui ex causa donationis convenitur, quia promisit se donaturum, vel simpliciter donavit, sed nondum tradidit, non condemnabitur ultra quam facere potest l. 19. §. 1. ff. de re judicat. ne liberalitate suā inops fieri periclitetur l. 50. ff. cod. inter hos omnes, qui in id, quod facere possunt, tenentur, pinguis succurritur donatori is solus æs alienum, quod debet aliis creditoribns prius deducit, & deinde etiam ipsius habetur ratio ne egeat & alimentis careat l. 49. ff. de re judicat. l. 54. ff. solut. matrim. cui consentit, quad Divus Dius rescripsit, eos qui ex liberalitate convenientur in id
quod

quod facere possunt condemnados l. 28. ff. de reg. *Jur.*

§. 8. Enumeravimus quosdam qui opus non habent auxilio cessionis bonor., nunc sequuntur aliqui, quamvis maxime velint non possunt cedere bonis, nimirum illi, qui in fraudem creditorum bona alienarunt aut dissiparunt l. 51. ff. de re judicat. vel qui spe ac animo cedendi contraxerunt, scientes se non esse solvendo, aut illi, qui foris cedunt multorum pecuniis interceptis contra fidem quam dederunt, se alio conferunt l. penul. in fin. ff. de jure dot. quoniam maleficium non debet illis causare beneficium, neque æquum est ex proprio dolo quemquam relevari, vel præmium reportare arg. l. 63. §. 7. ff. pro socio. & leges deceptis non decipientibus opitulantur l. 2. §. 4. ff. ad Sctun. *Vell.*

C A P U T III.

§. 1. **O**ccasione præcedentium duæ hic expenden-
dæ veniunt quæstiones: an is, qui se primo
negavit debitorem & postea convictus ac condemnatus,
non sit hoc beneficio privandus? & in hoc casu
negantium sententia magis videtur probanda; nam
Propter mendacium non omittit quis jus sibi compe-
tens, nisi in casibus à jure expressis, non invenitur au-
tem expressum, quod quia negavit quis debitum pri-
vari beat beneficio cessionis: quin imo jure expref-
sum est, quod ille, qui negavit debitum, & quia cre-
ditor

8 DISPUTATIO JURIDICA

ditor illud probavit si fuit condemnatus ad illius solutionem , possit adhuc post sententiam bonis cedere
l. 1. cod. b. t. & l. pen. ff. eod.

§. 2. Nunc altera exurgit proponenda quæstio variis opinionum fluctibus agitata , an pacto possit renuntiari beneficio cessionis ? & dicemus quod non ; quia contra id quod lex vetat vel quod fit contra bonos mores , pacifici nullo modo licet *l. 6. cod. de Patt.* & leges prohibent aliquem ob debita servire creditori *Nov. 134. cap. 7. & l. 12. & auth. seq. cod. de oblig. & att.* & sic vetant incarcerari , quia carcer inducit similitudinem & figuram servitutis *l. 2. ff. de liber. hom. exhib.* ut bene observavit Petr. Barbosa ad *l. 14. §. ff. sol. matrim.* quem sequitur H. Zoefius ad h. t. judicans adeo invalidam esse hanc renuntiationem , ut ea non obstante , possit debitor captus & carcere inclusus ab eo se liberare cedendo bonis , & hanc adducit rationem , quod per ejusmodi renuntiationem in effectu quis se obligat ad carceres donec satisfecerit , & sic probabili ad perpetuas , quia quomodo poterit sibi procurare media solvendi inclusus ? ut autem ab aliis sponte suâ motis liberetur , rarius est : ut proinde non possit nec debeat pactum admitti , quod corpus debitoris affigat , cuius ipse non est dominus : hanc sententiam etiam tenet Vasquez de succ. *lib. 3. §. 22. num. 79. cum Bacch. ad Trent. l. 2. Tb. 24. ad. l. E.*

CAPUT

INAUGURALIS.

CAPUT IV.

§. 1. **L**ocum tanrummodo invenit bonorum tessio
in causis civilibus, & recte denegatur volen-
tibus cedere bonis in causis criminalibus etsi pecunia-
rie agatur, nam qui non est solvendo, ne egestate pœ-
nam pecuniariam eludat, corporis coercionem su-
sticere debet, cum quo etiam convenit regula qui non
habet in ære luat in corpore ne delicta maneant impu-
nital. §. 3. ff. de pæn. l. 25. ff. de juvns voc. l. ult. cod.
de sepul. viol.

§. 2. Modus & forma bonis cedendi jure civili ma-
gnam aliquam solemnitatem non requirit, cum non tan-
tum per se verum etiam per alium, per epistolam, per
nuntium, in jure & extra jus l. ult. ff. b. t. sola voluntatis
professione bonis cedere licet l. 6. cod. eod. dummo-
do debitor à creditoribus conventus (nam non molestas
à creditoribus cedere non potest, quam commu-
nem & certam sententiam dicit Bacch. ad Trent. 2. disp.
24. l. C. in fin.) debitum agnoverit, vel id confessus
aut condemnatus sit l. pen. ff. b. t.

§. 3. Tunc vero omnia sua bona cedere coactus est
creditoribus, quæ tum temporis habuit, alioquin ille,
indicans tantum bonorum partem & partem celans, in-
dignus redditur hoc beneficio, siquidem ex maligni-
tate & dolo celans partem non satisfecerit legi requi-
renti omnium cessionem l. p. cod. b. t. quamvis vestem
quotidianam relinquunt ratio humanitatis, quoniam
turpis sit nuditas, & damnatis ad supplicium reliqui-

B

tur

10 DISPUTATIO JURIDICA

tur l. 6. ff. de bon. damnat. non tamen cedere tenentur bona feudalia &c emphiteutica, vel bona relictā cum prohibitione alienationis, aut fideicommissio obnoxia; verum eorum commoditatis ad creditores transeunt quamdiu debitor vivit l. 69. §. 1. ff. de leg. pr. & l. 48. §. 1. ff. de jur. fisci.

C A P U T V.

§. 1. Hactenus egimus, quid sit cessio bonorum, cui datur, & in quibus causis habeat locum quomodoque fiat: supereft nunc ut videamus effectum cessionis, qui consistit in eo, quod debitor bonis cedens liberetur à carcere & ab aliis injuriis creditorum, & carceri jam inclusus ab eo dimittatur, est enim cessio ad hunc finem inventa, ut liberet à molestiis carcerum l. 1. Cod. b. t.

§. 2. Cessione factâ petunt tum creditores ut ejus bona distrahantur, indequē ipsis satisfiat, quatenus facultates debitoris patiuntur l. 4 cod. b. t. potest tamen penitere cedens & bona nondum distracta avocare l. 2. cod. b. t. & si bona ita cessa non sufficiant ad exsolutionem, debitum non tam extinguitur quam potius suspenditur, usque dum cedens ad meliorem fortunam fuerit reversus, & tum iterum compelli potest ad solvendum eātenus, quatenus pro qualitate personæ facere potest, quia in hoc casu gatidet beneficio competentiæ, & inhumanum esset fpoliatum fortunis suis in solidum condemnari atque excuti l. 4. 6. 7. ff. b. t.

§ 3. Quam-

INAUGURALIS. II

§. 3. Quamvis debitor cessit bonis non tamen hoc prodest fidejussoribus cum per cessionem non extinguatur principalis obligatio, sed tantum concedatur competentiae beneficium quod est personale & competere fidejussoribus nequit §. 4. *Inst. de repl. & l. 7. prim.*
 §. 1. *ff. de except l. 24. & 25. ff. de re judicat.* præterea est & alia causa cur fidejussori hoc non conceditur, quia, qui alios pro debitore obligat, hoc maxime prospicit, ut cum facultatibus lapsus fuerit debitor, possit ab iis, quos pro eo obligavit, suum consequi per eund. §. *Inst. de replic.*

§. 4. Cæterum is, qui cessit bonis non notatur infamia, quoniam nec ex edicto nec per sententiam notatur, & nullum hoc modo commisit delictum, sed tantum actionibus personalibus ex causa civili debitor obligatus est, hoc clarè patet ex l. 11. *Cod. ex quib. caus. imfam. & l. 8. Cod. h. t.* quamvis opinione interpretum apud bonos & graves viros vix effugit facti ignominiam.



B 3

A N

A N N E X A.

I.

Communis error non facit jus.

II.

Fera in alieno fundo capta fit capientis.

III.

Privati non possunt alicui tribuere jurisdictionem.

IV.

Periculum rei vendita sed nondum tradita spectat ad emptorem.

V.

Duella jure divino & humano sunt prohibita.

F I N I S.